



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs XI. De reflexione actuum intellectus, & voluntatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)


art. 1. ad 2. in hæc verba: *Sic igitur ens diuiditur per unum & multa quasi per unum simpliciter, & multa secundum quid.* Vbi vt recte aduertit Caiet. indidem, & P. Suarez 1. metaph. disp. 4. lect. 4. vocula *simpliciter*, & *secundum quid*, non referuntur ad vnum, & multa, sed ad particulam *diuiditur*; quasi sensus sit, ens diuidi simpliciter per vnum, eo quod vnum sub ente simpliciter contineatur, & secundum quid diuidi per multa propterea quod hæc sub ente secundum quid contenta sint: sicut autem multa sub ente simpliciter non continentur, nec tam ens, quam entia sunt, ita obiectum totale sub obiecto simpliciter non continetur, nec tam obiectum, quam obiecta illud nominari oportet: similiter ergo obiectum per totale secundum quid, & per parziale simpliciter diuidetur.

60 Alio quoque modo præfatæ difficultati responderi potest, dicique obiectum totale aliud esse totale totalitate actus, aliud totale totalitate obiecti: obiectum totale priori ratione sumptum est, quod omnes actus scientiæ, aut virtutis terminat, ac nulli non obicitur: obiectum totale posteriori ratione usurpatum est omnium obiectorum collectio, & cumulus: sic causa alia est totalis totalitate causæ, quæ omnes causas effectus complectitur, alia totalis totalitate effectus, quæ licet vna sit in omnes tamen formalitates effectus virtutem, & actionem suam porrigit. Quamquam ergo obiectum totale totalitate obiecti vnum obiectum haud sit, sed potius multa, adeoque simpliciter obiectum esse nequeat, aut rationem communem obiecti propriè, & legitimè dissecare, vt ratio nuper facta persuadet, & Beati Thomæ, aliorumque plurium scholasticorum auctoritas conuincit: ceterum obiectum totale totalitate actus vnum esse potest, quo pacto diuina reuelatio, vna cum sit, tamen est obiectum totale fidei totalitate actus, quando nullum quidem fidei actum non terminat: veracitas etiam Dei vna cum sit, simili totalitate fidei obicitur: pari quoque modo obiectum attributionis Logicæ, verbi gratia, quod illudcunque sit, vnum profecto est; nihilominus tamen est obiectum eius totale totalitate, quam vocant actus, eo nimirum, quod singulos, & omnes illius scientiæ actus intrinsecè, aut certè extrinsecè, & per modum finis ultimi terminet, vt in loco ostendimus. Quando ergo obiectum totale totalitate actus, vnum est, adeoque simpliciter, & propriè obiectum, propriè quidem, & strictè diuidet obiectum in communi non minus quam illud, obiectum parziale dissecat, quin probatio in contrarium adducta officiat.

61 Hinc fit satis obiectioni, quæ aduersus definitionem obiecti totalis à nobis traditam confici posset: ea sic se habet: diuina reuelatio ex c. omnibus actibus fidei obicitur, & tamen non est obiectum adæquatum, ac totale fidei, quando hæc non solum diuinæ reuelationi, sed vltèrius auctoritati Dei reuelantis innititur, & vtramque simul adeoque alterutram duntaxat partialiter respicit: definitio ergo tradita aliis à definito conuenit, quo nullum in arte definiendi vitium maius. Sed dicendum est, diuinam reuelationem esse obiectum totale fidei totalitate actus, non vero totalitate obiecti, nimirum quia præter eam etiam auctoritas Dei, necnon etiam mysteria reuelata fidei obiciuntur: quare obiectionem factam nullius esse momenti aduersus definitionem ita explicatam: hæc enim reuelationi dum conuenit, nisi definito suo non competit; quandoquidem reuelatio est obiectum totale totalitate actus respectu fidei, adeoque inter nostræ

definitionis definita comprehenditur. Aliter etiam responderi potest, diuinam reuelationem non obici omnibus actibus fidei re, & ratione nostræ; pro quo ex iis, quæ superius diximus, in memoriam reuocandum est, actum fidei diuinæ, tamen realiter indiuisibilis sit, tamen ratione nostra formali, aut obiectiuâ diuiduum esse duos in actus, quorum alter diuinam reuelationem, alter vero auctoritatem, seu veracitatem Dei reuelantis attingat: diuina autem reuelatio non obicitur huic posteriori actui proptè à priori ratione distinguitur quamquam ab eo realiter attingatur: quomobrem nequit esse obiectum adæquatum; hoc enim à nobis definitum est, quod omnibus actibus etiam proptè ratione distinctis obicitur.

Hinc alia quoque difficultas aduersus nostram definitionem obiecti totalis soluenda emergit: namque obiectum totale totalitate obiecti, siue collectio omnium obiectorum, non obicitur omnibus actibus scientiæ, cum multi sint, qui eam collectionem non attingant, imò nullus eam attingat, sed aliquam eius partem: ea igitur definitio obiecti totalis non omni definito conuenit; pari quidem vitio, ac si aliis à definito conueniret: parum ergo refert quod scyllam hanc vitauerimus, qui in charybdem illam priorem incidisse videmur. Dicendum tamen, obiectum totale totalitate obiecti aliquâ sui parte omnibus actibus scientiæ obici, & nulli non opponi; atque hoc abundè esse, vt nostra ei definitio conueniat: sic dicitur, in toto omnique huius vniuersi spatio, ipsum vniuersum esse, quia quævis eius pars in aliqua illius spatij locatur: hac ergo ratione obiectum totale totalitate obiecti omnibus actibus scientiæ adæquatur, singulæ eius partes singulis actibus comparentur. Præterea responderi potest, obiectum totale totalitate obiecti esse collectionem plurium obiectorum, adeoque potius esse obiecta, quam obiectum simpliciter, quod autem non est obiectum simpliciter, neque etiam est obiectum totale: quid igitur mirum, si huius ei definitio non conueniat, & cum sit aliud à definito sit etiam aliud à definitione.



TRACTATUS XI.

De reflexione actuum intellectus, & voluntatis.

CAPUT I.

Auctorum placita proponuntur.

63 Vobis attinet ad intellectum Diuinum quamlibet eius cognitionem etiam à seipsa sine alterius ope cognosci, velut exploratum suppono cum B. Th. 1. p. q. 81. art. 3. in corp. Præterea quod attinet ad nostrum intellectum huius instituti magis proprium, eum reflectere in suos actus, saltem per alios, eosque cognoscere, sicut & voluntatem, ac memoriam, & experientia constat, & perspicuè docetur ab Augustino lib. 9. de Trinitate, cap. 11. *Memini enim me habere memoriam, & intelligentiam, & voluntatem: & intelligo me intelligere, & velle, atque meminisse: & volo me velle, & meminisse, & intelligere: totamque meam memoriam, & intelligentiam, & voluntatem simul memini: quod enim memoria mea, non memini non est in memoria mea: nihil autem*

tam

tam in memoria quam ipsa memoria est: totam igitur meminisse: item quidquid intelligo, intelligere me scio, & scio me velle, quidquid volo: quidquid autem scio meminisse. Haec tenet ille. Et quidem nisi actus intellectus in alios possint reflectere, actum erit de facultate Dialectica, quæ tota posita est in reflexe cognoscendo vnos actus intellectus per alios, nimirum per suos, eos qui ad alias spectant facultates. Maior ergo est difficultas, an omnis actus intellectus nostri sua folius vi in se reflectere, vel si displicet hic loquendi modus, se ipsum cognoscere debeat, & quo pacto? item quidquid sit de omni, an aliquis eius conditionis esse possit.

2. Prima sententia cognitionem omnem, cuiuscunque sit obiecti, non posse non seipsam etiam clare, & distincte cognoscere tunc: ita nonnulli cum Ægydio Romano, qui cum reflexionis modum, quod longe difficilius est, sensibus externis attribuit. Secunda sententia est, nullum actum intellectus posse in se reflectere, sibiue obici, aut clare, ac distincte, aut obscure, & in confuso cum aliis obiectis: ita Alhacen, Ochamus & alij Nominales: Quo ex principio propositiones insolubiles vocatas conantur solvere: Negant enim earum reflexionem etiam vagam, & confusam in se ipsas, aut hunc actum v. g. aliqua propositio est falsa, se simul cum aliis propositionibus vllatenus repræsentare: unde inferunt, & indissociabili quidem consequentia, eiusmodi propositiones simul falsas & veras neutquam esse oportere, vt in loco ostendimus. Tertia sententia est, nullum actum intellectus nostri posse se clare, & distincte cognoscere, etsi possit obscure, & simul cum aliis obiectis, ita Hurrad, disp. 7. log. sect. 1. §. 8. iuncta disp. 10. de anima sect. 4. per totam: inclinatur etiam in idipsum Sotus opusculo de insolubilibus lect. 1. not. 5. vbi etiam superiorem Nominalium sententiam refert, & reiicit. Quarta sententia est, posse quidem aliquem actum intellectus nostri se tum clare & distincte, tum etiam obscure cognoscere, simul vtique cum suo obiecto, directe; eius tamen ingenij omnem cognitionem nostram esse non debere: ita non pauci recentiores, & antiqui.

CAPVT II.

Reiectis tribus primis opinionibus ultima tanquam verior eligitur.

3. Prima sententia Ægydij hunc in modum impugnatur: idcirco possum cognoscere Petrum v. g. non cognito Paulo, quia vtique habet distinctam veritatem obiectiuam, ac transcendentem ab alio: at etiam ipsa cognitio mea habet distinctam veritatem transcendentem, seu obiectiuam ab illa re in quam directe fertur, veritas enim est passio entis, unde cognitio & res cognita habent, vt distinctam entitatem, ita similiter & distinctam veritatem: potero ergo cognoscere rem aliquam directe, quin ipsam cognitionem meam reflexe cognoscam: ac proinde non omnis cognitio est in semetipsam essentialiter reflexiua.
4. Rursus secundo: amor Dei super omnia seipsum super omnia non amat; aliàs amor ille, qui excellentissimus charitatis actus est, moraliter tamen malus esset, vt pote qui creaturam aliquam super omnia amaret: actus etiam quo odio prosequor peccatum aliquod, haud est censendus seipsum odisse, aliàs moraliter malus, aut certe imperfectus esset, quippe qui odium peccati Deo tantopere grati odio tamen haberet: Item cum nego Antichristum existere, meus hic actus seipsum existere neutquam negat: aliàs falsus

R. P. Richardi Lincei, Philosoph. Tom. III.

esset, cum tamen verissimum eum esse constet: pari ratione cum affirmo Deum esse à se, actum meum esse à se minime astruo; aliàs actus ille fide, ac ratione certus haud dubie falsus foret: actus ergo intellectus, & voluntatis (vtroque enim quod ad præsens attinet eadem est ratio) aliquo modo in obiecta sua tendunt, eaque denominat, quo nequeunt in seipsos reflectere, seu denominare: cur igitur absolute, ac simpliciter in obiecta à se distincta ferri non possint, eaque denominare aliquando, absque eo quod in seipsos intentionaliter tendant, vltimo modo cognitos aut amatos denominent.

Hinc tertio argumentor: si quando formæ physicae in se reflectunt, certe non aliam, sed potius similem eandemque denominationem sibi & rebus à se distinctis tribunt: vt enim vnio materiam, & formam vnitas denominat, sic etiam seipsam alterutri: Præterea, vt duratio, & vbicatio rem in tempore, & loco faciunt existere, sic etiam seipsas eodem temporis, & loci spatio denominant existentes: pari ergo ratione, si formæ intentionales, cuiusmodi sunt actus intellectus, & voluntatis, in seipsas reflectunt, eandem sibi ipsis denominationem tribuent, quam obiectis communicant suis: consequens autem est aperte falsum: nam nec amor Dei super omnia, semetipsum tantumdem amat, neque odium peccati seipsum odio prosequitur, nec propositio negatiua seipsam semper negat, aut affirmatiua seipsam perpetuo affirmat.

Præterea quartò: si omnis actus intellectus in seipsam reflectit, ac seipsum cognoscit, nemo poterit vnquam diuertere præ nimio studio, seu contemplatione, aut vique ad extra se ferri, vt quid agat, aut cogitet, omnino ignoret: quo enim pacto ignorare poterit aliquis cognitionem, quam habet, si eam per semetipsum essentialiter cognoscit. Consequens autem experientia manifeste repugnat: vt belle describit Claud. Mamercus lib. 1. de itatu animæ cap. 23. Hinc est, quod etiam dum corpus administrat, atque sentiat (videlicet anima) si quando in summa, & ea quæ sunt semper attollitur, ita quodammodo corporeos deserit sensus, ab iisdemque illocaliter abscedit, vt coram posita non videat, vt iuxta sonantia non audiat, vt percursum legendo paginam, non intelligat. Adest anima, vt per oculum literarum signa colligat, eademque in syllabas sociatas coniungat, ac per verba distinguat, & non adest, vt quid per hæc defecerit, sciat. Lego clare aliquid, pronunciantem me aliter intelligit, qui in id mentis oculum figit: ego vero ipso quid legerim nescio, quia in aliud anima illocaliter iniecta discessit. Et paulo infra. Ipsa istic est anima, vt per oculum quæ leguntur videat, & ipsa istic non est, vt quæ leguntur non intelligat. At non sepe vsu venit, vt siue huiusmodi lectionibus accommodantes visum, siue relationi cuiuspiam accommodantes auditum, cum hæc eadem non minus intelligi, quam videri, atque audiri facillimum sit, vtroque tamen sensu sonos, ac signa capiamus, cum quid hæc eadem significant, non intelligamus. Haec tenet ille.

Deinde quinto argui potest, & superior ratio confirmari, atque declarari: si omnis cognitio nostra clare, & perspicue in se reflectit, suam à quacunque alia distinctionem eadem claritate, & perspicuitate cognoscet: latente enim tali distinctione, non posset ea non confusè cognosci, quemadmodum Petrus v. g. nisi prout condistinctus à Paulo appareat, eius cognitio erit non clara, sed obscura, atque confusa: at actuum nostrorum distinctionem, eorum videlicet quibus res extrinsecas cognoscimus ex vna parte, & eorum ex alia, quibus nos ita cognoscere scimus, & cogitamus, neutquam nobis clare apparere, vel ex

O o 2 hæc

hac ipsa questione, quæ præ manibus est, liquidò, constat: haud enim dubitari posset, haud inter Scholasticos velut res incerta vltro citroque disputari, an actus nostros per seipsos, vel potius per alios realiter distinctos cognoscamus, si quid horum vsu veniat, ipsa patefaceret experientia.

8 Ad hæc sexto: quid magis ridiculum, quid sensui, & experientiæ magis contrarium, quam hominem saltem quoties vigilat, & sui compos, suis semper actibus cognoscendis incumbere: at ita incumberet, & esset eis intentus, si nihil per eos nisi eis vna cognitio posset cognoscere. Vltius septimo: si quoties anima nostra cognoscit aliquid, suammet cognitionem vna cognoscit ut aduersarij comminiscuntur, profecto etiam seipsam toties actu cognitam habebit: atqui nunquam extra somni tempus, imo ne tum fortassis ab alicuius rei cognitione desistit: velocissima enim est, ut ait Thales: nihil ea mobilius, nihil irrequietius: uti flamma semper veluti anhelat, semper sursum contendit: ita ipsa perpetuo quodam, ac non intermisso motu aliquid cogitat. Ad quod respondit Claudian. Mam. cit. lib. de stat. an. cap. 23. ibi: *Quid subiiciendum esse dixisti, caremus animam solere requiescere, ut prorsus cogitet nihil, caret vero. Anima nempe variare cogitata potest, non cogitare non potest. Quid autem illud est, quod somnare dicitur, nisi quod nec desesso quidem corpore in somnosque resoluta, anima vis a cognitionibus vacat. Consequens ergo est, ut in iugi, & continua sui contemplatione sit atque memoria, eaque actuali, sicut censuit Plato in Alcibiade ita explicans illud Alpollinis Delphici oraculum nosce teipsum: item Arminensis in 1. dist. 5. q. 2. necnon Picus Mirandulanus in conclusionibus suis. Sequela perspicua est: tum quia non est potior ratio, cur omnis cognitio nostra cognoscat seipsam quam animam cuius est cognitio; tum etiam, quia fieri non potest, ut seipsam cognoscat clare, & distinctè non cognita anima quam essentialiter respicit, & afficit. Consequens autem est manifestè absurdum, & aduersus experientiam: quis enim in semetipso experitur actualement illam & continentem animam suam cognitionem? quot e contrario eam potius ignorant? quot prorsus negant.*

9 Respondent aduersarij ad quatuor has postremas rationes, etiam si anima & seipsam & suam cognitionem iugiter, & continuo cognoscat, non habitu modo; sed actu quoque: ceterum eam cognitionem minimè discerni, aut ut sub experientiam cadere, propter eius assiduitatem: nam etiam in cæteris rebus vsu venit, ut valde assuetæ parum immutent, & quod dici solet, ab eis non fiat passio. Verum hæc responsio friuola est: atque ut arguit optime P. Suarez lib. 4. de an. c. 5. iuxta eam facile defendi posset cum pythagoræ, cælos concentum edere, tantumque & tam dulcem ut aures omnium compleat fouearque, eius tamen assuetudinem in causa esse, ne possit à nobis distinguui: item quod magis est absurdum, simili arte quibus tueri posset, nihil à nobis ignorari, & quæ maxime videntur incognita, ea tamen maximè cognosci, sed eorum cognitionem non discerni, ob assiduitatem aliamque causam.

10 Iam Nominalium sententia superius memorata, talem in modum oppugnatur: multo facilius est tendentia intentionalis, quam physica, ut ex eo constat quod per actionem intentionalem intellectus, aut voluntatis in rem absentem, imo in non existentem, nec non etiam in rem distantem sine medio tendere possimus, easque cognoscere & amare cum tamen actione physica ita nequeamus operari: sed formæ physicae non solum in extrema à se distincta, verum

etiam in semetipsas aliquando tendunt, ac reflectunt, veluti cum vnio seipsam vnit, & duratio, ac vbicatio semetipsas in tempore, & loco constituunt: à fortiori ergo intentionales formæ, cuiusmodi sunt actus intellectus, ac voluntatis, quandoque in seipsas intentionaliter tendunt, atque reflectunt, ac se cognoscunt, & amabunt. Vel paulo aliter: reflexio ad perfectionem attinet, quare diuini actus in se reflectunt: sed formæ physicae minus perfectæ interdum tamen supra se reflectunt, ac seipsas denominant: ergo à fortiori intentionales formæ actusve intellectus, & voluntatis in se reflectent, ac semetipsas cognitas, & amatas denominabunt.

Deinde cum Deus se cognoscere cognoscit, & amat amare, hos suos actus per ipsofmet, & non per alios realiter distinctos attingit, quæ est eius summa, & incircumscripita simplicitas, ut superius visum: quidni ergo Deus hanc reflectendi vim, ac perfectionem aliquibus actibus creatis possit concedere, haud enim erunt simpliciter infiniti, ac summè perfecti ob talem reflexionem, utpote quæ tantum efficit, ut tales actus seipsos non verò plura alia cognoscant, ac velint, qui titulus, ut alios multos prætermittam, ad imperfectionem sufficit. Præterea hic actus intellectus: *omne ens nullo excepto est possibile Deo*, siue, quod iuxta est, *non est impossibile apud Deum omne verbum* actus inquam eiusmodi vocibus subiectus repræsentat omne ens: quando ergo ipsemet est ens, sane seipsum cognoscat ac supra se reflectet.

Respondent aduersarij, voces quidem illas omne ens nullo exemplo repræsentare; ceterum actum eis respondentem non significare omne ens absolute, sed dumtaxat omne ens præter seipsum. Hæc tamen doctrina inverisimilis est, atque quantum arbitror, ad fugiendum argumenti difficultatem sine fundamento conficta. Deinde voces, & conceptus, ex quibus sunt oriundæ, aut in quos ducunt, eandem prorsus rem idemque obiectum significant: sicut enim vox hominis, exempli gratia, corpus & animam significat, ita etiam conceptus hominis idipsum totum necessaria ratione repræsentat; voces igitur illæ, *omne ens nullo excepto*, si omne quidem ens, & ipsum consequenter actum internum ex instituto significant, qui fieri potest, ut actus ipse internus eis subiectus semetipsum naturaliter non significet, aut in se non reflectat. Adice, quod actus internus est multo subtilior defæcior, atque perfectior, quam crassum, ac sensibile hoc nostrarum vocum murmur: ergo si voces omne ens absolute, & nulla exceptione facta significant, cur etiam actus internus iis in mente respondens minus penetret, minusue significet.

13 Opinio etiam Soti, Hurtadi & aliorum ex dictis facili negotio refellitur: nam iuxta eos, actus internus suapte natura imperfectus seipsum obscure, & implicite cognoscit, quatenus nimirum latet in aliqua ratione communi, aut vaga explicite cognita: alius ergo actus priori minus imperfectus poterit minus confusè, & obscure seipsum cognoscere; perfectio igitur actuum supra se reflectentium cum possit in infinitum crescere, cumque nullus actus excogitari possit, quo non sit possibilis alius perfectior, certe non conspicio, cur deuenire non sit ad aliquem actum supra se clare, & omni procul obscuritate reflectentem. In summa: actus imperfectus supra se confusè reflectit: ergo valde perfectus poterit supra se clare reflectere.

14 Rursus: actus voluntatis obiectum efficaciter amans seipsum, dummodo reflexus sit, non inefficaciter, & imperfectè, sed efficaciter perfecteque amat quivis enim voluntatis actus magis secum ipso, quam cum

cum obiecto quocunque à se distincto connectitur, atque adeo magis aut certe non minus efficaciter seipsum, quam quodlibet à se distinctum amabit: efficacia namque amoris in eius est cum obiecto connexionem potissimum sita: pari ergo ratione actus intellectus, uti rationem communem entis, accidentis, cognitionis, aliudve obiectum clarè, ac distinctè cognoscit ita etiam semetipsum luculenter, ac perfecte, non verò obscurus tantum & confusè, poterit aliquando cognoscere. Equidem à ratione alienum est, ut actus voluntatis in seipsum, & in rem à se distinctam eadem efficacia, & perfectione tendere possit, actui verò intellectus integrum non sit, ut in seipsum, & in obiectum à se distinctum pari claritate, ac perfectione feratur. Denique quædam formæ physice tanta perfectione se denominant reflexè, ac alia à se directè: vnio enim non minus rectè vnit semetipsam extremis suis, quam hæc inter se inuicem: actio etiam non minus se productum denominat, quam terminum suum: duratio quoque, & vbicatio haud minus se tempori, & loco commensas, quam res quibus accidunt: similiter ergo quædam formæ intentionales, cognitiones nimirum aliquæ, & amores, tanta perfectione tantaque claritate, aut efficacia semetipsas cognoscunt, & amabunt, quanta res alias à se distinctas complectuntur.

15 Ex quibus patet, ultimam sententiam earum quas recensuimus ad finem cap. præcedentis, veram esse, quippe quæ ex diametro opposita est tribus sententiis hæctenus impugnatis, & aduersus primam negat omnem actum nostrum debere supra se reflectere, & aduersus duas sequentes, quibusdam actibus reflexionem saltem obscuram, aliis etiam claram, & distinctam concedit: quæ omnia superius sunt probata, ut potuimus.

CAPVT III.

Argumenta quædam pro reflexione omnium, & singulorum actuum in semetipsos diluuntur.

16 **P**RO sententia Agidij, cuiusque cognitioni tribuente reflexionem essentialem supra semetipsam obicitur primo: omnis cognitio terminatur ad obiectum suum, prout est obiectum: sed obiectum ut obiectum intrinsecè, & essentialiter inuoluit cognitionem per quam apparet: omnis ergo cognitio nostra terminatur ad seipsam, sine, quod perinde est, ad cognitionem, qua obiectum à nobis hic, & nunc cognoscitur: Maior propositio palam esse videtur: minor etiam non minus perspicua: siquidem aliquid esse obiectum cognitionis est esse cognitum: cognitum autem ut tale intrinsecè, & essentialiter includit cognitionem: eam igitur obiectum quatenus tale cohibet.

17 Resp. cognitionem nostram terminari ad obiectum ut obiectum est, dummodo ea reduplicatio cadat supra materiale obiecti, illudque quod obicitur, non vero supra id quod pro formali importat: obiectum ergo cum pro materiali solam rem cognitam semper dicat, non verò cognitionem, profecto non erit cur cognitio ad obiectum prout tale eo sensu terminata in se reflectat, aut ad se terminetur. Quod si ea reduplicatio cadat, aut supra id quod pro formali obiectum inuoluit, aut certè supra omnia obiecti constitutiva, eiusque tam materiale quam formale, inspicandum profecto erit, hoc sensu cognitionem terminari ad obiectum, prout est eiusmodi.

18 Obicitur secundo: cognitio cuiuscunque obiecti.

R. P. Richardi Lincei, Philosoph. Tom. III.

cti ad verum, ut verum est, terminatur, cum omnium confessione verum sit obiectum formale intellectus, in quos hic per suos fertur actus: at verum, ut verum est intrinsecè, & quidditative inuoluit cognitionem saltem possibilem, omnis ergo cognitio est ad aliquam cognitionem saltem possibilem terminata: cum igitur non sit, quapropter omnis cognitio aliam cognitionem à se realiter distinctam cognoscat, sanè seipsam necessaria quadam reflexione attinget. Sola huius argumenti minor eget explicatu, eaque hunc in modum breuiter explicatur: verum, ut verum, nihil aliud est quam cognoscibile sicuti est; quare cognitionem possibilem nequit non includere.

19 Respondeo, veritatem transcendentalem, ut exposui supra lib. 2. tract. 6. cap. 1. duplicem esse, alteram omnino intrinsecam & essentialem rei verè, aliudque nihil est, communiori apud authores sensu, quam aptitudo illa radicalis cum entitate rei identificata, qua postulat, vel certè non repugnat illa cognosci, quemadmodum est in se: alteram vero partim intrinsecam, ac partim extrinsecam: ut enim rem esse cognitam est denominatio extrinseca, ita eam esse cognoscibilem sicuti, aut non sicuti est ei potest aliqua saltem ex parte extrinsecus aduenire. Quæ cum ita se habeant: cognitio quidem nostra, quæcunque sit, terminatur ad verum transcendentale, secundum omne quod includit, si de veritate omnino essentiali, & intrinseca sermo sit: hinc autem non efficitur, eam ad cognitionem etiam possibilem terminari, ut ex iamiam prænotatis liquet: at vero qualibet cognitio nostra non terminatur ad verum transcendentale penes omne quod includit, siue de veritate transcendentali quadantenus extrinseca sermo sit, sed duntaxat penes id, quod pro materiali & in recto importat: vnde in seipsam necessario non reflectit.

20 Obicitur tertio: vnio physica nequit vnire materiam formæ, quin alterutrum horum extremorum vniat subiectum: vnio igitur affectiua, & intentionalis nequit vnire affectiue voluntatem obiecto, quin eam sibi etiam affectiue vniat, arque coniungat: voluntatem autem vniri affectiue alicui rei, est illam amare, quo pacto dici solet animam magis esse ubi amat, quam ubi animat: proinde non poterit voluntas nostra vi sui amoris complecti obiectum sibi directè, & primario propositum, quin ipsum amorem suum amet, & eodem complectatur affectu: omnis ergo voluntatis amor est in seipsum reflexus: quo fit ut omnis etiam cognitio intellectus simili reflexione gaudeat: tum quia quod ad præsens attinet, eadem est vtriusque ratio, ut superius animaduersum: tum etiam, quia quod in amore factum est argumentum haud magno opere fieri etiam potest in cognitione, quippe quæ est suo modo intentionalis vnio rei cognitæ cum intellectu, & huic illam intrinsecè sistit ac repræsentat.

21 Respondeo, in primis vnionis physice & vnionis intentionalis similem non esse rationem vel ex eo claret, quod vnio physica non nisi extrema loco inuicem indistantianectere possit, cum tamen vnio intentionalis amoris res quantumlibet distitas coherere faciat, nullisque locorum intervalis eius vis cohiberi, aut ardor possit extinguere: quare tametsi vnio physica seipsam physice vniat, exinde non fiet vnionem affectiuam voluntatis hanc amare, & sibi affectiue copulare. At instabis: quorsum nos superius argumentati sumus ab vnione physica ad vnionem intentionalem, & ab vnio ad alterius reflexionem, si vtriusque non est par ratio, similisue conditio? Sed negamus, eo argumenti genere vspiam esse nos vlosi solum enim diximus, aliquas formas physicas in se reflectere,

reflectere, nec sui immemores esse, quoties res extra se denominant, atque huiusmodi esse unionem, vibrationem, durationem: alias vero formas phylicas minimè reflexivas, sive denominativas ibi suppositimus, v. g. actionem destructivam, quæ non se, sed terminum suum destruit, aut formam substantialem, quæ non se, sed materiam substantialiter informat. Hæc fuit argumentatio nostra, qua superius probabamus, aliquas formas intentionales non tamen omnes esse in se reflexas: ea vero quantum aduersariis proferat, ipsis iudicandum relinquo. Rursus secundo respondeo, quamvis unio physica plerumque seipsum uniat, non repugnat tamen iuxta aliquos aliqua, quæ extrema sua inuicem physice uniat, quin illa sibi, aut se illis physice uniri efficiat: ubi enim extrema aliqua realiter distincta sint omnino inseparabilia, omnisque indifferentiæ expertia ut uniantur vel non uniantur, dummodo utrumque simul existat, esto alterutro sine alio existente possint separari, & non uniri; sanè unio eorum extremorum (quæ talis generis à Deo produci posse non est omnino improbabile) ab iis erit realiter indistincta, atque adeo ea sibi physice non uniet, cum unio physica extrema realiter distincta necessario inter sit, alioqui ab identitate neutiquam distinguenda; & tamen ea extrema inter se physice connectet: ergo etiam aliqua unio affectiva voluntatis, in eius amore sita, eam cum obiecto non verò se cum affectivè poterit copulare: frustra ergo unionis physice exemplo utuntur aduersarij.

22 Obiicies quartò, & præcedens argumentum corroborabis: ubicatio ita est præsentia physica, & coniunctio quadam loci, & rei locatæ, ut etiam seipsam tam loco quam rei locatæ præsentem faciat: neque fieri potest, ut quæ respicit extrema ea inuicem præsentem physice, ac localiter, quin etiam seipsam eis eodem modo sistat: similiter ergo cognitio quævis, ita erit præsentia intentionalis intellectus, & rei intellectæ, alterutrinus, inquam, respectu alterius, ut etiam seipsam non minus quam rem cognitam intellectui faciat esse præsentem.

23 Respondeo in primis, præsentia physica, ac propria, & præsentia intentionalis, ac metaphorice disparatam rationem esse: sicuti paulò supra in re similes habebam: unde non bene in omnibus ab una ad alteram argui. Præterea secundo: esse in loco est proprietatis connaturalis rerum omnium à Deo creatarum: quare, cum ubicatio sit res quadam à Deo creata, in loco esse debet: ubi autem locum postulet, non alium certè quam locum rei ubicatæ, cuius est intrinseca forma. Cæterum esse cognitum actu ab aliquo intellectu creato non est proprietatis naturalis omnis creaturæ, ac proinde ex hoc titulo omnis cognitio creata actu cognosci non debet ab alia, ne dum à semetipsa: cum ergo cognosci rem, sit esse intentionaliter præsentem, & eam esse in loco sit esse physice præsentem, nil mirum si cognitio creata sit præsentia intentionalis rei respectu intellectus, quin ipsa semper sit intellectui intentionaliter præsens, tamen ubi ubicatio nequeat esse præsentia physica loci & rei locatæ inuicem, quin utrique sit physice, & intentionaliter præsens.

24 Obiicies quintò: intellectus sapissimè cognoscit ens rationis, seu chimæricum, v. g. hominem esse equum: at hominem esse equum more reliquorum entium rationis intrinsecè, & essentialiter includit actum intellectus falsum, & fingentem, ut supra lib. 4. huius operis, tract. 1. cap. 1. & 2. multis, & efficacissimis, me iudice ostensum est argumentis, & vel ex eo constar, quod tale obiectum: chimæricum non ha-

bet aliud esse, præter esse obiectivè in intellectu, siue ab eo fictum falsòque cognitum: cognitio igitur apprehendens, aut affirmans, hominem esse equum seipsam cognoscit, ac proinde quævis alia cognitio supra se reflectit, cum omnium par sit ratio, & re sincere aspecta nulla prorsus appareat causa, ob quam actus affirmans, hominem esse equum supra se reflectat, qui verò affirmat, hominem esse animal, ea reflexione destituitur.

25 Respondeo tamen primò, negari posse consequentiam: cum enim ens rationis cognitione ipsa fictitia intrinsecè & essentialiter constituitur, quid mirum est, quod cognitio, terminata ad ens rationis, seipsam etiam respiciat, quippe quæ ens rationis quidditatiuè componit: at vero ens reale non constituitur intrinsecè, & essentialiter ea cognitione, per quam apparet: proinde illa semetipsam reflexè non attinget. Insuper secundo respondeo, probabilius esse, cognitionem affirmantem, aut apprehendentem, hominem esse equum, non attingere hominem equum, siue chimæram illam, penes totum quod includit, sed secundum id duntaxat, quod pro materiali importat, videlicet extrema realia, quæ fictæ compositioni subsunt: dicimur autem communiter hominem equum cognoscere, quia talem chimæram licet non cognoscamus secundum se totam, eam tamen pro materiali, ut aiunt, percipimus, & pro formali eam actu nostro complemus, & constituimus: qua etiam ratione obiectum extrarium directè cognoscimus, quia pro eius materiali attingimus illud directè, pro formali verò illud actu nostro in ratione talis obiecti constituimus: quare quod eius actum nostrum lateret, hoc compensatur denominatione illa obiecti, quam actus noster rei cognitæ tribuit; & hoc sufficit, ut obiectum directè cognoscamus, tamen omnia eius constitutiva directè non percipiamus: certo namque certius, cognitionem illius in ratione obiecti constitutivam à nobis directè non cognosci, sed ad summum reflexè, vivit eam aliquo cognosci modo gratis fateamur.

26 Obiicies sextò: repugnat cognitionem ullam cognoscere rem aliquam, absque eo quod aliquam etiam cognitionem unà cognoscat: at non alia de causa, nisi quia omnis cognitio reflectit in semetipsam essentialiter: ea igitur est cognitionis natura, atque conditio: minor, & consequentia sunt perspicue: maior verò suadet: impossibile est, cognitionem ullam cognoscere obiectum, quin ab ea obiectum sit vicissim cognitum: sed obiectum esse cognitum à cognitione est cognitionem, & obiectum per modum unius cognosci: ergo, &c. Minor hæc probatur: obiectum esse cognitum à cognitione est relatio prædicamentalis tertij generis, scilicet nimirum ad scientiam: at relatio prædicamentalis consistit formalissimè in extremis realibus ab intellectu cognitis, & inuicem comparatis; quare seorsim à mentis operatione nulla potest in rebus relatio prædicamentalis, nulla comparatio admitti: obiectum ergo esse cognitum à cognitione, & ad illam prædicamentally referri est essentialiter cognosci extrema illius relationis, nempe obiectum, & cognitionem: iam ergo sine cognitione cognitionis nulla res cognosci, nullusque intellectus cognoscere valebit. Hoc argumentum, quantum arbitror, manifestè convincit, omnem actum intellectus supra se reflectere, si vera sit Aureoli aliorumque sententia illa de relatione prædicamentali. Cæterum eam falsam esse, demonstratum est supra lib. 3. huius operis, tract. 6. cap. 21.

Obiicies septimò: omnis actus intellectus certus
suprà

suprà se reflectit, ac seipsum cognoscit: idem igitur est de quibuscunque aliis intellectus nostri actibus existimandum: consequentia apparet legitima. Probatur antecedens, si prius tamen duo supponantur: alterum, ad certitudinem requiri, non solum cognosci obiectum cognitione infallibiliter vera, verum etiam, ut intellectus cognoscat se ita obiectum cognoscere: hoc probatur primò, quia ad cognitionem scientificam oportet, ut intellectus scire se sciat, ut optimè tradit P. Suarez tom. 1. metaph. ad principium, dum disputat an eius facultatis munus sit tradere instrumenta sciendi; quocirca qui dixit, *scire tuum nihil est nisi te scire hoc sciat aliter*, alio coque non incongruo sensu potuisset etiam dicere; scire tuum nihil est nisi te scire hoc scias ipse: quod si ad certitudinem scientiæ requiritur reflexio, quidni etiam ad quamvis aliam? Item secundò probatur id ipsum; ut incongruo sensu potuisset etiam dicere; scire tuum adhærere: talis autem adhæsiō repugnat, nisi intellectus cognoscat, se attingere obiectum, & ab eo minime aberrare: etenim si quis reipsa cognoscens, sciensque obiectum, existimet se illud nescire, aut certè dubitet, an eius sit nescius, vel conscius, is profecto non adhærebit firmiter obiecto; respectu cuius ita se habet. Alterum quod debet supponi est, certitudinem formalem actus intellectus esse ab eo realiter indistinctam, id quod alij exemplo veritatis, quidam libertatis, non pauci bonitatis, & plurimi certitudinis obiectiæ persuadent. Hinc igitur argumentari poterit non nemo: omnis actus intellectus certus est intrinsecè, ac per seipsum essentialiter talis, ut liquet ex proxima suppositione: at certitudo importat cognitionem actus certi; ut liquido etiam constet ex priori suppositione: actus igitur certus, ac proinde quivis alius, est intrinsecè, & essentialiter cognoscitivus sui, siue in se reflexus.

28 Sed ut ab hoc ultimo incipiam, etiamsi omnis actus certus in se reflectat, quæ exinde consequentia ad alios actus ad alios quovis incertos, atque imperfectos? an quia omnis actus certus est verus, id ipsum de quovis alio nulla certitudine prædico dicendum? Rursus secundò: quamvis ad quendam certitudinem reflexæ gradum opus sit, ut actus certus semetipsum cognoscat, suamque cum obiecto conformitatem, uti diximus in Dialect. lib. 2. tract. ult. cap. etiam ult. cæterum ad certitudinem directam, & absolutam, ac simpliciter talem nulla opus esse reflexione, sed duntaxat, ut circa assensum sui obiecti omnem abigat formidinem omnemque ab eodem assensu indifferenciam, ad id ut non conformetur veritati obiectiæ, iuxta disputata superius tract. huiusmet libri. Quæ cum ita sint, æquis non videat, adductum argumentum nihil concludere?

29 Octavò obijcies cum aliquibus Neotericis: cognitio nostra affirmans, aliquid futurum sub conditione, verbi gratia, conversionem Petri reflectit suprà seipsam: ergo & cognitio quæ rem in quovis alio statu cognoscit, nimirum aut absolutæ futuritionis, aut solius possibilitatis: quæ enim utrinque disparitatis ratio? Antecedens suadet: haud enim ea cognitio cognoscit meram possibilitatem conversionis, haud eam esse futuram absolutè: ergo propterea in alio statu medio: prorsus autem intelligibile est, quid sit ille status medius nisi ipsa cognitio illustratur, & constituitur: nam ex parte ipsius rei quid esse potest, quo à duplici extremo, quos inter est, possit distingui? status autem ille si ipsa constituitur cognitione hæc cum cognoscens haud poterit non in seipsam reflecti? Sed non videt hoc argumentum: cum quia futuritio sub conditione est prædicatum

quoddam omnino physicum, & primò intentionale, sicut futuritio absoluta, & possibilitas, nec minus quam hæc optimè potest intelligi, & explicari, seorsum à quacunque cognitione illius constitutiva, ut lib. 10. Dialect. ostensum: tum etiam, quia tametsi cognitio nostra conditionata rem conditionatè futuram propterea talem & constituat, & cognoscat, adeoque in se reflectat, quæ inde sequela ad alios actus, quibus obiecta omnino physica, & secundis intentionibus neutiquam constituta respondent?

Obijcies nonò: omnis cognitio aut cognoscit rem in recto, vel in obliquo: esse autem in recto, vel in obliquo, nihil est ex parte ipsius rei secundum se, sed est denominatio merè extrinsecæ à modo concipiendi speciali, qui per nominandi casum, aliumve exprimitur: omnis ergo cognitio se cognoscit, cum rectitudinem, aut obliquitatem rei se constitutam attingat. Sed in primis, quid si cognitio non rem nomine significatam repræsentet, sed verbum obiectivum, quod non per casus rectos, obliquosve declinatur, sed potius per tempora coniugatur? Rursus secundò, sicuti suprà dictum est cognitionem attingere obiectum, non pro formali, sed pro materiali sumptum, ita similiter in præsentiarum dicendum, cognosci rem in recto, aut in obliquo non penes totum id quod his exprimitur vocabulis, sed penes id solum quod pro materiali importatur, reliquum vero à cognitione tribui, non sciri.

Decimò, ac postremò obijcies illa Augustini verba lib. 9. de Trinitate, cap. 11. *Quidquid intelligo intelligere me scio, & scio me velle, quidquid volo: quidquid autem scio, memini.* Quorsum autem omnis cognitio nostra debet à nobis cognosci, nisi sit essentialiter reflexa in se, aut si per aliam à se distinctam apparet aliqua, quidni possit ab hac separari, eaque deficiente latere, & ignorari? Respondeo, Augustinum id tantum voluisse, omnem cognitionem nostram à nobis cognosci, aut actu, aut habitu, siue potentia: quod evidentè constat ex postrema clausula, *quidquid autem scio, memini*; quis enim actu recordatur omnium, quorum habet scientiam, ito eorum possit recordari? Augustini ergo verba in reliquo testimonio non actum, sed eum, vel aptitudinem significant, quod quam parum prosit aduersariis superuacaneum est expendere, cum sponte sua liqueat.

Postremò obijcies, tum eundem Augustinum lib. 8. de Trinitate, cap. 7. *Qui proximum diligit, consequens est, ut ipsam dilectionem diligit*, tum etiam Thomam 2. 2. quæst. 25. art. 2. *Amor ex ratione propria speciei habet, quod suprà se reflectatur, quia est spontaneus motus amantis ad amatum, unde ex hoc ipso quod amat aliquis, amat se amare.* Sed responsio ad utrumque testimonium est in promptu. Augustinus enim haud intelligit nomine *dilectionis* eam qua quis diligit, ubi eam adstruit à diligente proximum necessario diligi, sed de dilectione increata, Deo nimirum, ac proinde nullam reflexionem admittit. En quæ verbis nobis obiectis proximè subiicit, ibidem, *Deus autem dilectio est, & qui manet in dilectione, in Deo manet: consequens ergo est ut præcipue Deum diligit.* Thomas autem solum vult, omnem amorem se amare, non actu, sed potentia, & habitu, id est dari poss. semper alium actum eiusdem nominis, & rationis, siue alium amorem, qui ad eum terminetur; quæ in re differt amor ab odio, spe, desiderio: haud enim quis odisse potest odium suum, aut spem suam, quam habet, sperare, aut quo vitur desiderium, nihilominus desiderare. Atque ita eum interpretatur Caietanus eo loci, eiusque mentem esse hanc, manifestè persuadent verba præcedentia quæ sunt huiusmodi:

modi: Quia enim voluntatis obiectum est bonum uniuersale, quidquid sub ratione boni continetur, potest cadere sub actum voluntatis, & quia ipsum velle, est quoddam bonum, potest velle se velle sicut & intellectus, cuius obiectum est verum, intelligit se intelligere, quia hoc etiam est quoddam verum sed amor ex ratione propria speciei, &c.

CAPVT IV.

Argumenta aduersus aliquorum actuum in se reflexionem soluuntur.

33 **O**ppones primò, pro sententia Nominalium negante quorumlibet actuum in se reflexionem: omnis cognitio est imago quadam obiecti: ergo est similis obiecto: cum ergo nihil possit esse simile sibi ipsi, relatio enim similitudinis est ad aliud saltem à fundamento, fieri certè non poterit, vt qualiscunque cognitio nostra ab obiecto cognito non sit realiter distincta: suimet ergo ipsius obiectum esse nequit, aut quod perinde est, supra se reflexa. Respondeo: cognitio quævis nostri intellectus est imago intentionalis obiecti: proinde omni, & cuiusque debet esse intentionaliter similis, secus vero physice, ac realiter, eave relatione quæ solet inter prædicamentales numerari: quocirca cum similitudo physica, & propria, non vero impropria, & intentionalis realem distinctionem inter fundamentum, & terminum exposcat, sanè non est cur cognitio distingui debeat à quolibet obiecto suo, tametsi ei sit similis quodammodo, eiusque qualis qualis imago: ipsa ergo cognitio nostra suimetipsius obiectum potest esse nonnunquam. Quid? quod argumentum, instatur in cognitione diuina, quæ seipsam representans sibi est intentionaliter similis.

34 **O**ppones secundò: obiectum cognitionis nostræ cuiuslibet est ea prius ordine naturæ: sed nulla res potest esse seipsa natura, aut causalitate prior: nulla ergo cognitio nostra potest sibi ipsi obici, aut in se reflectere: minor propositio adeo est manifesta, vt probatione non egeat: maior probatur: tum quia vt cum Augustino Theologi omnes profitentur, ex obiecto & potentia paritur notitia: tum etiam, quia idcirco cognosco rem ita esse, quoniam est, non vero propterea res est, quoniam esse à me cognoscitur, aut affirmatur; hæc autem irreciproca causalitas arguit, obiectum esse prius cognitione.

35 **R**espondeo negata maiori: ad primam eius probationem dicendum est, Augustinum non locutum de omni cognitione, cum certo certius sit, cognitionem diuinam nullius obiecti, nulliusque potentie partem, aut effectum esse, sed de sola cognitione sensitiva, aut etiam intuitiva, aliave quæ à sensu obiecti originem tractat. Ad secundam probationem dicendum est, causalem illam minime mutuum, aut reciprocam veram esse, de obiecto directo cognitionis, non verò de obiecto eius reflexo: si enim de obiecto reflexo alicuius cognitionis sermo sit, ideo quidem cognosco, meam existere cognitionem, quia illam cognosco, ideoque illam cognosco, quia ipsa existit: quod nihil aliud est, quam idem reipsa esse me cognoscere, ac existere meam cognitionem, & existere meam cognitionem, ac me cognoscere: illa siquidem particula ideo, & quia interdum solam identitatem, non vero causalitatem significant: quare cum omnis identitas sit mutua, atque reciproca, ea etiam particula reciprocari possunt, & assolent. Sic ideo Petrum, v.g. esse hominem, quia est animal rationale, &

ideo esse animal rationale, quia est homo, multoties asserimus.

36 **O**ppones tertio: intellectus diuinus nequit reflectere supra suam cognitionem, verbi gratia, Antichristi futuri, nisi per aliam virtualiter distinctam; etenim si bene perpendantur ea, quæ de distinctione virtuali dici solent, & à nobis sunt dicta superius lib. 2. tract. 4. cognitio diuina, quatenus terminata ad Antichristum, & quatenus terminata ad seipsam, non poterit non dissecari in duas formalitates virtualiter distinctas, haud secus ac quævis alia res respiciens diuersa connotata: at quæ in Deo virtualiter distinguuntur, in nobis sunt realiter distincta; qua ratione cognitio & volitio in Deo tantum virtute distinctæ in nobis realem habent distinctionem: intellectus ergo creatus cognitionem suam cognoscens, non nisi per aliam cognitionem realiter distinctam poterit eam attingere, atque adeo actus creatus supra se reflectens omnino repugnabit. Hoc argumentum aliqui auctores multum amant: non desunt illud omnibus locis insulcite: vbique illud libentissime arripiunt. Parum tamen momenti habet: vt enim sæpè numero aliàs dixi, essentia & existentia Dei, eiusque potentia tantum virtualiter distinguuntur, si quam habent distinctionem; & tamen huiusmodi conceptus in rebus creatis sunt realiter indistincti, ac non nisi virtualiter distinguuntur: par ratio est voluntatis, & intellectus Dei, nostrumque: non omnia igitur quæ in Deo virtualiter distincta sunt, in creatis reali distinctione secernuntur.

37 **O**ppones quarto: visio externa, ac materialis oculorum nostrorum nequit supra se reflectere, aut semetipsam videre, similiter ergo interna mentis visio, siue cognitio spiritalis intellectus nostri non poterit in semetipsam reuerti: consequentia videtur optima: sensio namque tam percipere potest res præsentem, quam cognitio intellectualis: vbi ergo visio sensitiva, ac materialis seipsam quantumlibet sibi intime præsentem, & coniunctam intueri reflexè nequeat, non erit profecto, cur intellectio nostra possit in seipsam reflectere, seve ipsam intelligere: antecedens autem argumenti suadet, hunc in modum, siquidem visio materialis esset, & non esset visio sui, si in se reflecteret: esset visio sui quo namque alio modo posset in se reuerti, quævis alia ratione se percipere? non esset visio sui, quia visio externa est essentialiter perceptio coloris, & hac finitione ab omnibus explicatur philosophis: ac visio quatenus est cognitio sui, quævis tenus in se reflectit, non est perceptio coloris, sed visionis, quæ color, aut lux non est: ergo respectu sui visio esse nequit.

38 **H**oc quoque argumentum magnopere non vrget: imprimis namque in eo sat malè à cognitione sensitiva arguitur ad intellectualem: cum enim hæc longè perfectior, ac subtilior sit, quam illa, & è contrario illa, multo magis quam hæc, crassa & imperfecta, mirum non est, quod tametsi visio externa seipsam videre nequeat, cognitio interna, ac spiritalis seipsam cognoscat. Nec vero sensio percipere potest quantumque rem præsentem, sicuti intellectus, quæcunque sibi sunt præsentia, percipere valet aliquibus suis actibus: haud enim sensus visus Deum quantumlibet sibi præsentem villo attingit actu, quem tamen intellectus noster per plures cognoscit.

39 **D**einde dicendum est, longè probabilius esse, visionem externam posse supra se interdum reflectere, ac seipsam videre, quamvis oppositum sentiant Nemesius B. Thom. Philoponus, Plutarchus, Michael Ephesius, Capreolus, Ferrariensis, Iandunus, Apollinaris,

Apollinaris, Albertus, & Auerroës, alique non pauci. Ratio huius est, quia licet visio definiatur perceptio coloris, propterea arbitrandum non est, nihil eam percipere posse, nulliusque visionem esse posse, nisi quod lux fuerit, aut color: siquidem alibi à nobis ostensum est, eam percipere, ac videre carentias, vibrationes, distantias, durationesque rerum, aliaque sensibilia, ut aiunt, communia: quare sensus eius definitionis est; obiectum formale visionis esse colorem siue lucem, & cum alterutra harum qualitatum, aut certe utraque sufficiat, ut oculi videant, nullum tamen aliud obiectum absque illis, siue sine ordine, & habitudine ad illas posse conspici: unde visio supra se reflectens suimet erit visio, eo quod seipsam non nisi per modum vnius cum colore aut luce, & per habitudinem ad utrumlibet horum obiectorum se percipiat, alioqui se neutiquam perceptura. Adice tandem, hoc argumento, si cuius est ponderis, reuera probari, esse non posse, ut visus materialis suos actus per alios etiam realiter distinctos cognoscat, aut ita quidem in eos reflectat: ergo si fas est à sensu ad intellectum, à visione externa ad internam arguere, nec fieri poterit, ut intellectus in suos actus etiam per alios realiter distinctos reflectat: hoc autem, & ratio, & experientia, & auctorum omnium consensui repugnat. Quin etiam illud prius, nempe visum externum, nec eodem, nec diuerso saltem actu posse functionem suam percipere, aut in eam reflectere, omnino falsum esse videntur Alexander, Themistius, Simplicius, alique multi, & graues Doctores, quorum sententiam ex professo confirmare non est huius loci.

40 Denique oppones B. Thomam 1. part. quæst. 87. art. 3. ad 2. *Ipsum intelligere humanum non est actus, & perfectio natura intellecta, ut sic possit uno actu intelligi natura rei materialis, & ipsum intelligere, sicut uno actu intelligitur res cum sua perfectione: unde alius est actus, quo intellectus intelligit lapidem, & alius est actus, quo intelligit se intelligere lapidem, & sic deinde.* Fateor hæc verba indicare, B. Thomam nobis esse contrarium: fortassis tamen hoc tantum voluit, ut plurimum fieri non posse, quin intellectus noster vno actu intelligat obiectum directè sibi propositum, & alio se illud intelligere: sicut etiam quod paulò supra dixit, cognitionem Angeli non per aliam distinctam, sed per semetipsam in se reflecti, haud accipiendum est, quasi id ita semper accidat, sed quasi sæpè: constat enim, Angelum aliquando cognoscere vnam cognitionem suam per aliam, ut cum meminit se quidpiam cognouisse. Atque hæc sunt argumenta potissima, pro Nominalium opinione quamlibet reflexionem vnius actus nostri in semetipsum inficiante: ea autem, & non alia, quod sciam, fieri solent pro tertia sententia ad finem cap. primi memorata, & negante, non omnem actuum nostrorum in seipsos reflexionem, sed duntaxat claram atque distinctam: ad minimum enim hanc impossibilem esse videntur suadere argumenta superiora. Sed quod non suadeant, nostras solutiones expendenti liquebit. Hactenus ut plurimum de reflexione actuum intellectus in seipsos: quidquid autem de ea dictum est, id omne applicari potest, & debet ad modum quo possunt supra se reflectere voluntatis actus: quapropter eorum reflexio nemini iure videri potest à nobis prætermissa.



TRACTATUS XII.

De oppositione actuum intellectus, necnon etiam voluntatis.

CAPVT I.

Quousque opponantur assensus, & dissensus amorque efficax, & odium de eadem obiecto?

PATER Suarez tom. 2. metaphysic. disp. 45. sect. 4. & tom. 1. in 3. part. disp. 38. sect. 3. & cum eo per plures Philosophi, ac Theologi tuerentur, ne diuinitus fieri posse, ut intellectus eidem obiecto simul assentiatur, & dissentiat; aut voluntas eandem rem efficaciter amet, & simul efficaci prosequatur odio. Communioris autem sententiæ commune fundamentum ita se habet. Inuoluit contradictionem, ut intellectus obiecto euidenter falso assensum præbeat, aut quod voluntas obiectum impossibile, cognitum, ut tale, efficaciter intendat: at si intellectus simul haberet assensum, & dissensum eiusdem obiecti, rei euidenter falsa assentiret, & voluntas etiam amore, & odio efficaci idem obiectum semel prosequens, eo ipso rem impossibilem, ut talem sibi propositam efficaciter veller: ergo, &c. Minor suadetur: quoniam obiectum aliquod simul esse, & non esse, est euidenter falsum, ac impossibile: sed intellectus eidem obiecto simul assentiens, & dissentiens, affirmaret rem simul esse, & non esse; esse quidem per assensum; & non esse per dissensum: ergo aliquid euidenter falsum affirmaret. Rursus: aliquod bonum simul esse, & non esse est omnino impossibile: sed voluntas odio, & amore efficaci eandem rem simul complectens efficaciter veller idem simul esse, & non esse; esse per amorem; non esse per odium: ergo veller efficaciter aliquid impossibile.

2 Maior argumenti quoad primam eius partem suadetur: quia sicut malum seclusa quauis ratione boni repugnat esse obiectum amoris, ita etiam falsum, quoad tale, nequit esse obiectum assensus: & quemadmodum visio corporalis, quoniam tendit sub ratione coloris, ac suapte natura definitur externa quædam sensatio coloris, quod non fuerit color, hoc etiam diuinitus ea percipere nequit; ita similiter, cum assensus intellectus tendat sub ratione veri, quod verum ei non apparet, neque videtur, sed potius est euidenter falsum, hoc ab eo ne supernaturaliter poterit affirmari. Iam vero quoad secundam partem eadem maior probatur: tum æqualitate quadam rationis: tum etiam, quia bonum impossibile propositum ut tale, malum potius est, quam bonum: sed voluntas obiectum præcisè malum amare nequit: is enim voluntatis actus esset, & non esset amor; esset quidem amor, ut supponitur, non esset amor, quoniam hic definitur prosecutio boni.

3 Huic tamen argumento responderi potest, imprimis eius maiorem propositionem adeò veram non esse, & diuinitus fieri posse, ut quis supernaturaliter, ac miraculosè assensum præbeat alicui obiecto, quod sibi tanquam euidenter falsum proponitur: nam intellectus assentit etiam naturaliter obiecto, quod sensibus euidenter falsum apparet, eorumque errorem corrigat,